

nat potentia, ut intelligibiliter determinata; et sic mediante tali emanatione, seu potentia emanante influat objectum ipsum in actum radicaliter, non formaliter. Ipsa vero potentia prout sic perfecta, et determinata ex vi suæ emanationis influat formaliter ut virtus, et ut determinata, ut habens a subjecto vim elicitive, et ab objecto determinationem vi ipsius emanationis. Nec oportet quod ipsa potentia se habeat indifferenter, indigeatque a specie superveniente determinari, quia respectu cognitionis sui, non est potentia illa indifferens, sed ex vi suæ emanationis determinata. Quod si dicatur ipsam substantiam, ut objectum intelligibile immediate influere in actum, quia licet substantia per seipsam non sit operativa elicitive, bene tamen influere potest objective: hoc quidem non habere tantum inconveniens, si alias posset componi iste influxus objectivus cum informatione potentiæ, quam substantia non potest habere: nam objectum non potest influere in actum seorsum a potentia, sed pro indiviso cum ipsa, seu unico, et indivisibili influxu; et sic non sufficit quod objectum influat ut assistens, sed oportet quod intime actuet, et afficiat potentiam, ut ex ipsa, et potentia unicus, et indivisibilis influxus nascatur, quod esse non potest nisi vel potentia determinetur ab objecto per intrinsecam actuacionem, et informationem ab eo, sicut species superveniens potentiæ, illique unita formaliter; quod in substantia respectu intellectus proprii non potest intelligi; vel e converso quod potentia emanet ab objecto, quod est idem cum subjecto intelligente, et in hac emanatione maneat determinatus intellectus, et completus objective, quia emanat a substantia, etiam ut objectum intelligibile est.

XVI. Ad quartam difficultatem constat ex dictis, quod substantia Angeli non potest servire pro specie alicui intellectui, nisi vel informando illum, vel e contra per hoc quod intellectus inhæreat illi, et emanet ab illo. Substantia unius Angeli non potest informare intellectum alterius Angeli: si enim non potest informare proprium intellectum cui intimior est, quanto minus poterit informare alienum? Et inconvenientia quæ inveniuntur in hoc quod substantia ut ab extrinseco veniens sit forma informans intellectum, inveniuntur in hoc quod informet alienum intellectum. Et reducitur ad hoc, quia omnis informatio intelligibilis supponit aliquam entitativam conjunctionem in aliquo genere causæ vel agentis, sicut Deus intime adest intellectui creato dando illi esse, et anima suo intellectui, quia effluit ab illa, vel materialis recipiendo intellectum, vel formalis sicut species accidentalis inhæret entitative intellectui. Nullo autem modo nec in genere alicujus causæ præsupponi potest aliqua unio entitativa inter substantiam Angeli, et alienum intellectum ut de se constat: et ideo neque intentionaliter potest illum informare. Et quod non possit emanare intellectus alienus a substantia alterius Angeli manifestius est quam ut indigeat probatione; cum hoc ipso quod alterius sit, ab alio dimanet non a se; et sic non est possibile quod substantia unius Angeli possit esse species, et informare intellectum alterius Angeli, sed indiget specie superaddita. Videantur quæ diximus circa hoc præcedenti tomo, disp. XIII, art. IV, circa finem.

XVII. Ad ultimam respondetur ex his quæ eodem loco præcedenti tomi, art. V, in fine solutionis ad secundum diximus, quod Angelus per suam substantiam non potest esse

species expressa, sicut est impressa, ut expresse docet S. Thomas IV contra gentil. c. XI, quia non est per suam substantiam intellecta, seu terminus intellectionis, in quo consistit species expressa, eo quod esse terminus intellectionis supponit ipsum intelligere, cujus est terminus, et a quo redditur intellecta, nec intelligere quomodocumque, sed etiam dicere, quia per dicere exprimitur verbum, seu species expressa; cum autem intelligere, et dicere sint aliquid accidentale ipsi Angelo, quia operatio ejus, et intelligere non potest esse ejus substantia, repugnat quod terminus dictus, seu expressus per ipsum dicere, sit substantia, et sic non potest esse species expressa: bene tamen impressa, quia hæc non se habet ut terminus alicujus operationis, sed ut principium. Quod autem substantia ipsa ante omnem operationem sit principium intelligendi per propriam intelligibilitatem, quam ex se habet, et non ex aliquo superaddito, sicut ex se, et non ex superaddito est immaterialis, et spiritualis, nulla repugnantia est. Nec potest poni instantia de ipsa divina essentia, quæ habet in intellectu beati vicem speciei expressæ, ut diximus præcedenti tomo, disput. XIII, art. V, et tamen non proceditur, nec est formata aut dicta per intellectum beati, sed solum extrinsece contemplata: ergo similiter essentia Angeli per hoc quod sit extrinsece contemplata, erit species expressa illius. Negatur consequentia, quia essentia divina est suum intelligere, et intelligi; et sic per seipsam est intellecta in actu secundo, quod est esse speciem expressam, non per aliquod aliud intelligere in esse intellectu constituitur. Unde solum communicatur, et applicatur intellectui beati, non per illud redditur in se species expressa. Essentia autem

Angeli non est suum intelligere; unde esse actu intellectum ut terminus intellectionis, et ut speciem expressam non per se habet, sed per speciem accidentalem superadditam.

SECUNDA PARS CONCLUSIONIS DE
ACCIDENTIBUS ANGELI.

XVIII. De accidentibus Angeli distinguimus accidentia naturalia, sibi que proportionata, et supernaturalia, dicimusque pro prioribus non indigere speciebus superadditis, sed per suam substantiam ea intelligere, sicut accidentia alterius Angeli per speciem representantem substantiam alterius Angeli. Pro secundis autem indigere specie superaddita, ut ex propria cognitione cognoscat. Igitur quoad accidentia naturalia probatur conclusio ratione a priori, et a posteriori. A priori quidem, quia accidentia continentur in substantia, et operationes in potentiis tamquam in radice, et causa propria, et adæquata; sed cognitio Angeli cum sit perfecta, et comprehensiva, tangit effectus in causis, et per causas: ergo Angelus cognoscit sua accidentia, incipiendo a radice, causaque ipsorum creata, et adæquata (nam in creata cognoscere non est angelici intellectus, sed beati) constat autem proximam, et adæquatam causam, et radicem accidentium esse substantiam a qua oriuntur: ergo per speciem ejus cognoscit Angelus accidentia sua. Patet consequentia, quia species angelicæ sunt perfectæ, et comprehensivæ rei naturalis quam representant: ergo oportet quod in causa representent effectus, et in substantia proprietates, et accidentia, non autem de his singulis seorsum species habeant, quia si componerent cognitionem suam ex multarum spe-

cierum aggregatione, non quælibet perfecte repræsentaret totum quod ei convenit, et quod per compositionem in nobis, aut discursum congregatur in cognitione. Si autem Angeli intellectus exigeret ex sua natura species, ita imperfecte repræsentantes, quod una repræsentaret substantiam, et non proprietates, et accidentia, alia sola accidentia, et non substantiam, ex sua natura intellectus ille exigeret compositionem, et discursum ad habendam cognitionem perfectam, quæ consistit in cognitione rei, et suarum proprietatum, et effectuum, et in cognitione effectuum per suas causas, et radices, si quidem non posset talem perfectam cognitionem habere, nisi congregando eam ex pluribus speciebus, quarum quælibet imperfecte repræsentaret, ex collatione autem earum resultaret perfecta cognitio, qui est modus quod nos cognoscimus per discursum, licet efficacius Angeli discurrerent, et perfectius, sed tamen discurrerent ex natura sua quod negatur communiter a theologis infra quæstione LVII. Necesse est ergo ut hoc inconveniens evitemus, quod species Angeli tales sint quod repræsentando substantiam, etiam accidentia, quæ ei conveniunt, aut debentur, seu quidquid exigitur ad comprehensionem rei repræsentent. Et sic etiam substantia sua quæ deservit sibi pro specie, non solum seipsam, sed etiam accidentia sua naturalia repræsentare debet, quia sicut illa ab ipsa substantia, et in ipsa habent esse, ita et intelligibilitatem, ac per hoc intelligibilitas ejus efficax est ad repræsentandum intelligibiliter accidentia sua, quia perfecte ea continet in se, et quia sic requiritur ad sui comprehensionem.

XIX. A posteriori autem deducitur ratio, quia si de accidentibus debet intellectus Angeli habere species,

de quolibet oportet dicere quod speciem habeat seorsum ut illud cognoscat: nec enim est major ratio de uno, quam de alio. Sic autem sequetur processus in infinitum, aut sistendum erit in aliquo accidente quod per seipsum sine specie superaddita cognosci possit, ut objectum et res cognoscibilis ut quod. Patet hoc manifeste, quia si aliquid accidens, v. g. potentia, intellectus vel ejus operatio, aut species, seu verbum indigent specie seorsum, et distincta illorum repræsentativa ut cognoscantur: ergo etiam species istæ quibus talia accidentia repræsentantur, indigebunt specie alia, quia etiam ipsæ species cognosci possunt tamquam objecta, et res cognitæ, licet enim sint ratio cognoscendi alia, tamen etiam possunt cognosci ut quod, et ut objecta, et non solum ut quo: ergo pari ratione de illis dabuntur aliæ species, et de istis aliæ; et sic in infinitum, aut dabitur aliqua species, et aliquid accidens quod seipso informet ad cognitionem sui intellectum, et eadem erit ratio de aliis accidentibus spiritualibus, imo et de ipsa substantia, quæ non minus spiritualis, et intelligibilis est in actu, quam alia accidentia, et ad rationem speciei perinde est quod entitas illius sit substantia, vel sit accidens. Adverte tamen quod cum dicimus substantiam repræsentare sua accidentia, potentias, intellectum, et species per seipsam, loquimur de intellectu in statu connaturali, et prout habet hæc accidentia sibi conjuncta, et species infusas: id enim requiritur ut necessaria conditio: si enim producat substantia sine voluntate, v. g. aut intellectus sine speciebus, non cognoscat per substantiam suam ista accidentia, nisi in potentia, et imperfecte, sicut tunc se habet ad illa.

XX. Loquendo autem de acciden-

tibus supernaturalibus quæ infunduntur Angelo, si cognoscantur quidditative, et ut sunt in se, requirunt species superadditas, nec sufficit ad illa cognoscenda ipsa substantia Angeli loco speciei, neque aliæ species naturales Angeli, quia ista omnia improportionata sunt, et alterius ordinis a gratia, et accidentibus supernaturalibus: ergo non possunt illa repræsentare quidditative ut sunt in se: ergo indigebit speciebus proportionatis, et ejusdem ordinis cum gratia ad cognoscendum illa supernaturalia quidditative. Et sicut ad cognoscenda ista mysteria gratiæ habuit anima Christi scientiam infusam, nec sufficere poterat acquisita, sic species naturales Angeli non possunt sufficere ad mysteria supernaturalia cognoscenda, sed requiruntur infusæ, et ejusdem ordinis. Et deinde, quia Angeli cognoscunt gratiam, ejusque mysteria, non solum prout sunt in se, et prout sunt accidentia sibi inhærentia, sed prout sunt communia aliis, et existunt in aliis: ergo postulant habere species repræsentativas talis gratiæ, quia prout est in aliis, non potest cognosci, nisi per species superadditas: nec enim per gratiam, quæ est in altero, potest eam intelligere, si quidem sibi non est unita, nec per gratiam, quæ est in se, potest eam, quæ est in altero cognoscere, quia plerumque est in altero perfectior, et cum aliquibus donis, vel specialibus modis, quibus non est in se: ergo specie superaddita indiget ad cognoscendam gratiam, quæ est in altero; similiter ergo ex eadem specie poterit cognoscere gratiam, quæ est in se, cum sit ejusdem quidditatis. Nec potest Angelus uti gratia, et habitibus supernaturalibus in se existentibus loco speciei ad intelligendum illa, si quidem ista non possunt intentionaliter informare intellectum

nisi aliquam unionem entitativam habeant ad ipsum in aliquo genere causæ, ut ponderatum est, multi autem ex his habitibus non habent conjunctionem entitativam cum intellectu, ut habitus qui sunt in voluntate, et gratia ipsa quæ est ipsa substantia.

XXI. Solum possent objici duo.

Primum est, de habitibus supernaturalibus, qui sunt in intellectu, ut fides, lumen gloriæ, et similes. Si enim per inhærentiam sunt entitative conjuncti intellectui, et alias sunt per se intelligibiles, et actu immateriales: ergo possunt loco speciei deservire.

Secundum est, de ipsis speciebus supernaturalibus, quia sequitur processus idem in infinitum, quem in speciebus naturalibus inferebamus, aut sistendum est in aliqua specie, quæ per seipsam serviat intellectui ut species suimet, et idem dici poterit de reliquis accidentibus supernaturalibus, quæ in ipso intellectu sunt.

Respondetur ad primum, esse disparem rationem de habitibus supernaturalibus, etiam si intellectui inhæreant, atque de aliis accidentibus: nam habitus supernaturales qui sunt in intellectu, sicut et alia accidentia non cognoscuntur, nisi ex sua radice, et causa ab Angelo, cum ejus cognitio petat esse perfecta, et sic attingere rem per causas, et radices suas. Radix autem habituum supernaturalium est gratia, quæ in re supernaturali se habet tamquam essentia, et habitus potentiarum, ut propriæ passionibus. Unde si ad cognoscendam gratiam indiget Angelus specie superaddita, etiam per eandem attinget habitus, qui sunt in intellectu, et voluntate, et dimanant a gratia, et consequenter etiam operationes, quæ ex talibus habitibus proveniunt. Itaque si Angelus intelligeret habitus intellec-